

Letter 324: After 3 February 1527, Sapidus to Capito

Original manuscript, Basel UB ms. Ki. Ar. 25a, #41.

Capitoni suo charissimo fratri ac domino.

Siquis singula capita et rerum apices, de quibus Cratander in literis ad te suis meminit iusta tractatione persequi contenderet, libro non epistola opus fuerit. Multos viros celebrari vult, varios locos quibus aeditio commendari debeat proponit, ad que praestanda scio mihi vires
5 deesse, et non tam paratam me habere industriam, quam illa omnia requirunt. Imo totus refugio, ubi meam tenuitatem ad tam arduam rem confero. Commendandus est orbi Cicero linguae latine princeps, non ullius barbarie ac infantia obscurandus.

Finge me posse, at iam non possum, ita me pudet pigetque telae ambitae matronae quam tu et alii infeliciter exorsi estis. Quod ita futurum praesagiebat mihi animus iam, quum nondum
10 certus instituti vestri, subodorari tamen videbar, non quod tam impatiens sim repulsae aut spretae ambitionis, sed quod sciam mulierculas incontinentis esse linguae, quam facile peccent in sacramentum silentii, etiamsi sacrosancte taciturnitatem praestitaque fide ad se receperint, quae non tantopere urgenter ad aborsum, quanta propalandi arcani libidine tanguntur. Habent suas ancillas, puellas, nugatrices quibuscum suaviter garriunt et de suis consiliis libenter impertiunt,
15 quae deinde aliis communicant, sit ut brevi sepissime toti urbi notum fiat quod unius aut alterius mulierculae sinui creditum fuerat et, ut semel dicam, in eo malo decoquendo nunc toto animo occupor. Vereor enim ne passim digitis demonstreor: est qui non nisi claras et magnificas studet facere nuptias et id genus alia, a qua re si iam nunc animum defecatum haberem, tam libenter tibi gratificarer quam nulli mortalium. Proinde remitto tibi Cartandri epistolam usuro mea opera,
20 commodiori et loco et tempore atque in re meis humeris magis apta, nam etsi quid tentare conniterer, nihil tamen dignum Ciceroni succederet. Quare, rogo te per nostram amicitiam ut, si rescindo quod heri temere pollicitus sum, boni aequique consulas. Invenies ad id me multo melius compositos qui ea animi imbecillitate nunc carent, cui ego vicio omnino male obnoxius sum meque longe et multis nominibus vincunt. Vale et me plano [?] animo utendum tibi semper
25 propino.

Tuus Sapidus.